

ARPAJON EXULTANS  
IN ADVENTU  
SERENISSIMÆ INFANTIS,  
REGINÆ  
GALLIARUM.

*Offerebat B. ROBINE DE CALLEMONT, Sacræ Facultatis  
Parisiensis Doctor Theologus, Prior & Pastor Sancti Germani d' Arpajon,  
antea de Castris, [Châtres;] nec non Canonicus Honorarius Insignis  
Ecclesiæ Frisingensis in Bavaria.*

H. J. r. 6A.

(44)



LUTETIÆ PARISIORUM,  
Typis CAROLI HUGUIER, Typographi-Bibliopolæ,  
viâ San-Jacobæâ, sub Signo Sapientiæ.

M. DCCXXII.

CUM APPROBATIONE, ET PERMISSU.





ARPAJON EXULTANS  
IN ADVENTU  
SERENISSIMÆ INFANTIS,  
REGINÆ GALLIARUM.



U C I T E perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
Rex Regum Dominus, Cœli Dominator & Orbis,  
BORBONIUM celebrare Decus, celebrare Coronas,  
Gallis Hispanisque simul dat Fœdere sacro,  
Quo fœcunda Domus, Sanguis, Prosapia, Nomen,

*Piece rare  
et singulière*

Multiplicanda magis Soboles, quò junior Ætas.

Sic Flores tribuunt maturo tempore fruges;

Sic Seges Agricolam lætis ditavit aristis;

Sic rerum species paulatim sumere formas;

Sic quoque nascentis referunt primordia Mundi.

D U C I T E perpetuum mea Carmina, ducite cantum.

Jam recreat Terras jucundo lumine Phœbus,

Quem modò non perimit nimbofo tegmine bruma;

Jam cessavit Hyems, cessavit frigidus horror;

Jam Nivis & diræ non sævit Grandinis ira:

Non gelidus Boreas stridoribus instat acutis;

Horrida Fluminibus glacies non asperat undas;

Diluvium nec aquis pluvialibus obruit arva,

Nec quatiunt Turres adverso turbine Venti,

Nec tenebrosus Aër stringit caligine Terras.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Apparent Flores, Violas studiosa Juventus  
 Colligit, & Veris passim munuscula carpit,  
 Et ducit Choreas, festivaque Carmina cantat.  
 Undique jam resonant Avibus virgulta canoris;  
 Jam Philomela canit, demulcet pectora cantu,  
 Expellitque graves dulci modulamine curas.  
 Turturis auditur vox, vox auditur Alaudæ,  
 Quæ recreata diu suspensis aëra pennis,  
 Oblectat mentes, oculos, auresque videndo.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Nunc frondent Sylvæ, gemmas gratissima Vitis,  
 Et Campis Segetes viridantia gramina promunt:  
 Florea Prata novo rident depicta colore.  
 Hinc Terram videas duro qui vertat aratro;  
 Illinc qui teneras subigant in Palmite Vites.  
 Gaudet ovans Pastor, gracili modulatur avenâ,  
 Atque Viatorem compellit sistere gressum,  
 Dum Caper & lætæ Pecudes, hirtæque Capellæ,  
 Et blandi saliant altis in montibus Agni.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Nayades æquoreæ cellis in montibus ortæ,  
 Cum Dryadis feriunt festivis cantibus Astra;  
 Et Cereri & Baccho non desunt Carmina: Pallas,  
 Mercurius, Musæque, simul venerandus Apollo,  
 Pan Ovium custos, Sylvas, Montesque pererrans,  
 Jupiter omnipotens, Saturnus, maxima Juno,  
 In Cœlis Terrisque Choros & ovantia ducunt  
 Agmina; sic gaudent rapido penetralia cantu  
 Implere, & sacri flammis adolere Penates.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Plaudite nunc Cives studiosi, plaudite Galli,  
 Vos, Proceres, stimulis haud mollibus æmula Virtus  
 Excitat; & concors Pietas & Gloria poscunt:  
 Divitibus cumulat Gallos Hispania donis,  
 Acceptumque refert munus quo Regia fulget,  
 Quove novum Fœdus sancitur nexibus arctis.  
 BORBONIO Genere Hispanus Gallusque superbit;  
 Hoc Genus, hoc nostrum, nostræ quoque gloria Gentis,  
 Hoc Genus implebit Patriis radicibus Orbem.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Munera pro donis fusè largitur Iberus;  
 Acceptare juvat monimentum & pignus amoris,  
 Nec laudare satis, gratesque rependere dignas  
 Sufficimus: memores animos obstringimus omnes.  
 Advenit hoc Donum, Cives, occurrite, dextrâ  
 Armati: penitus placet observantia Regi.  
 Vos decet obsequium vultu præstare benigno,  
 Chara quibus Patria est, quibus & charissima Proles,  
 Officiis alias Urbes superare juvaret.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Certatim Gentes celebrarunt gaudia plausu:  
 Burdigala ingeniis Hominum, Fluviiisque superba,  
 Mercibus insignis, Bello, Procerumque Senatu:  
 Cordis amor, Patriæque decus, celeberrima Regni  
 Urbs Aurelia, clara situ & victrice Puellâ:  
 Et Stempæ, certamen ubi Bellona gerebat,  
 Pugnarunt Urbes animis, ut grata referrent  
 Obsequia: & studiis accensæ æqualiter omnes.  
 Quantum quisque potest, alacri sibi consulit arte.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 ARPAJON exultat, summus clarusque Dynastes.  
 Exultat simili Tellus de nomine dicta  
 ARPAJON, insignita novo, quæ Castra ferebat.  
 Exultans Populus, festivo Carmine Regem  
 Prosequitur votis, Dominamque potentem.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 Dulcis amor nostri REX & REGINA, Decorum  
 Præsidium Patriæ, Francorum dulcia cordis  
 Vota, Salus, Spes & charæ Fiducia Gentis:  
 Prospera cum Regno florenti cuncta precamur,  
 Conjugium felix, multos feliciter annos:  
 Et Natos videant Natorum, in millia crescant,  
 Multiplicent Superi Nomen, Decus, atque Coronas.  
 Pectoribus nostris Genus hoc, & Lilia cordi.

DUCITE perpetuum mea Carmina, ducite cantum.  
 \*Madame de Ventadour. Quod Natura dedit, \*coluit Sapientia, \*\*Mentor  
 Perficiat: Reges quos aurea Sæcla tulere  
 \*\*M. de Villeroy. Confurgent, totum Soboles optanda per orbem.  
 Ducite perpetuum mea Carmina, ducite cantum.

\*\*\*\*\*

#### A P P R O B A T I O N.

**J**E soussigné, Maître ès Arts en l'Université de Paris, ai lû par ordre de  
 M. le Lieutenant General de Police, un Manuscrit qui a pour Titre:  
*Arpajon exultans in Adventu Serenissimæ Infantis, Regina Galliarum;*  
 dont on peut permettre l'Impression. Fait à Paris ce vingt-cinq Février mil  
 sept cens vingt-deux. Signé, PASSART.

Vû l'Approbation du Sieur Passart, permis d'imprimer. Ce 25 Février 1722.  
 Signé, DE BAUDRY.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de  
 Paris, N° 1164, conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrest de  
 la Cour du Parlement du trois Decembre 1705. A Paris ce 26 Février 1722.  
 Signé, DE LAULNE, Syndic.

